

que fuit incitatus) Ordinem Minorum appetiuit. Sed non pro eo atque ar-  
denter ad hoc vitæ institutum propendebat facilis fuit aditus. Cum enim diu  
multumque se candidatum prætulisset, & iteratis precibus ambiuisset quod op-  
tabat, repulsam post omnia passus est & cum pudore dimissus. Non tamen des-  
pondit animum, sed fortius haud multò post insitens votorum compos factus est,  
acposito tyrocinijs anno eum ordinem est professus quem tantopere concupierat.  
Quod datum illi ad diem II. Maij ann. 1617. Per vestigia indolis suæ ire pergens  
sub optimo professore R. nimirum P. Ioanne Kermarek in Vicennensi secessu  
(quo non est aptior Musis locus) operam Theologiæ dedit, per id tempus nescio  
quâ conscientia vexatione (scrupulos vocant) exagitatus, quod pristina men-  
tis incitationem attemperauit verius quàm retardauit, sed cum incremento  
pietatis, absque quâ inanis & vana est omnis tractatio literarum. Non enim  
aliud erat quod eum angeret quàm ne per studia literarum refrigereret aut  
imminueretur sensus fructusque pietatis. Redijt igitur ex hoc geminatum lucrû,  
vt è scholis non minus pius quàm doctus & eruditus euaderet. Ita factum vt per  
superiores tantò certius statim ad moueretur ad Ecclesiastica ministeria, quantò  
maiores in pietate pariter ac literis radices egerat. Vix per artem Sacerdotio  
erat inauguratus cum cœpit conciones habere tanto successu plausuque ac ap-  
probatione omnium, vt è veteranis plures optarent ibi desinere vnde incipiebat.  
Cum ergò sub id tempus erecta de nouo fuisset Burgundiæ Ducatus Prouincia,  
essentque Patres ex hac Franciæ Prouinciâ delecti, qui eius curam capessèrent  
euocauerunt illi ad se nouum strenuumque operatorem, qui hac mutatione àëris  
(licet hoc etiam ad documentum obseruare) liberatus est à conscientia angu-  
stias. Quod factum magis crediderim ex labore qui magnus illi multasque incu-  
buit, hoc insuper consecutus ex impigrâ & multimodâ exercitatione vt cum ad  
singula idoneus aptusque factus esset, sufficeret demùm ad omnia quæ & simul  
inualescentibus continuò viribus *infracto* animo est complexus. *Tota enim de-  
inceps vita nihil aliud egit,* quàm vt, cum ad omnes suæ professionis functiones  
promptus esset atque expeditus, tum nulla per eum quoad vires humanæ ferebât  
& si quid est vltra vacaret. Ad eò continuus fuit & assiduus in animarum nego-  
tius, siue verba faceret ad populum, siue noxas per confessiones expiandis infuda-  
ret, siue ad perfectiorem viuendi modum erudiret, siue ad opus alios sedula pro-  
uocatione stimularet, vt de solido die nihil sibi reliquum facere videretur, cum  
interim de nocte tam conciones elucubraret, quàm in elaborandis libris versar-  
etur: ita vacans singulis vt par omnibus esset, ita complexus omnia vt incumbere  
vni tantum modò videretur & crederetur. Sic nimirum agebat quod erat de  
præsentis pertractandum vt non videretur ad reliqua quandoque rediturus, in-  
tentus vni quidem cum attentus tamen esset ad omnia. Id quod mirum plerisque  
fuit, cum multi sint qui ex sua ignauiâ metiantur oecupationes aliorum, adeo-  
que incurrit aliquorum reprehensiones cum acerbis nonnullas, tum etiam ciui-  
liores modestioresque aliquas quæ ab illo tantum non nihil moderationis exige-  
rent. Sed qui frangi laboribus non poterat, multò minus vt verbis cederet aut  
inflecteretur adductus est. Deo militabat inexplebilis charitas, non audiebat  
quæ ab hominibus dicerentur otiosis illis & delicatis qui sine sudore non possunt  
in aliorum etiam labores intendere. Quos ille ita præteribat vt nihil aliud op-  
poneret, quàm quod sumperat sibi solum in hæc verba, *In labore requies:* &  
certè nisi recreatus refectusque ipso labore fuisset haud multis diebus poterat  
inter hæc quæ sibi accersuerat onera perdurare. Indefessus tamen ille ac inde-  
fensus opus Dei per vrgebat. Quid verò mirum si fatigari non potuit cuius erat  
pietas animi immensa charitas in proximum summa, operis ac laboris cupiditas  
irrequieta? Dicitur vetus; Non laborat qui amat, & quidem sine exceptione ve-  
rum, si labor est qui amatur. Non eo per singulas virtutes, hoc tantum præterendo  
vbi plus est virtutis minus esse consequenter laboris. Erat, cedo, Blanchotj eru-